



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 5. Sectariorum furor contra hasce Pontificis literas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. „igitur, ut qui recte credendi gratiam
A.C. 1702. „a Domino consecuti estis, bonorum
 „operum, & præcipue charitatis, hu-
 „militatis, & obedientiæ fructibus ei-
 „dem Domino respondeatis: frustra e-
 „nim fuerit, Catholice credidisse, nisi
 „cæterarum quoque virtutum suffragio
 „reportetis finem fidei Vestræ, salutem
 „animarum; idque, ut facilius asse-
 „quimini, supremum misericordiarum
 „Patrem pro muneris nostri debito, Pa-
 „ternoque, quo vos omnes complecti-
 „mur, amore precari non desistemus;
 „& Apostolicam interim Benedictionem
 „Vobis ex animo impertimur.,

§. V.

*Sectariorum furor contra has Pon-
tificis literas.*

Brauw.
Epist. ad
Quesn. se-
cret. 28. Maij
 1703.

Hanc Clementis Papæ epistolam
 Bruxellensibus literis excusam Bussi-
 us Apostolicus Internuntius ad præcipuos
 Fœderati Belgii Catholicos transmissit,
 illamque Regulares ubique palam fe-
 cere: Ast quam indomitis impotenti-
 busque furiis Sectarii in has Papæ li-
 teras tumultuari cæperint, vix calamo
 assequi valemus: non Religionis Sancti-
 tati, non Pontificis honori, non Ca-
 tholicorum saluti parcebant, apud Hol-
 landiæ Ordines instabant, ut hoc Breve
 tanquam seditiosum & infamem libel-
 lum

Sæc. XVII.
A. C. 1702.

lum supprimerent, & ubique per suos satellites illius exemplaria conquiri juberent, & Cockio omni Provicariatus functione interdicerent: acerbiora adhuc decreta ab Ordinibus promulganda significabat Prauwellius Amstelodamensis Parochus, fortiores, rescripserat ipse ad Quesnelli Secretarium, in adventum Coddei reservantur, omnes indignantur adversus Ministros Romanæ Aulæ, qui talia in Patria acatholica audent, aulici omnes id interpretantur, quasi P. La Chaise jussu Ludovici XIV. turbas in hac patria excitare voluerit, vident etiam ad oculum, quid palpones Pontificis non possent, facileque talibus decretis subditos a juramento, quo sese Principibus astringunt, absolverent . . .

Papæ Internuntius nunquam majus obsequium reddere potuisset, quam suo Breve præstitit, etiam Catholici audax hoc facinus indignantur, Monachi palam faciunt Breve, sed Clerus ut obreptitium respicit, Ordines ut seditiosum: Insuper innumeri pene, ac petulantissimi mox in publicam lucem protrusi sunt libelli, quibus absque pudore decidebatur, Coddeum insuperhabita Romana depositione pollere plena, eademque potestate, quam ab Innocentio XI. accepisset in Vicarium Apostolicum Anno 1688. renuntiatus: Ast triginta & unum ejusmodi infames libellos latine, Gallice & Belgice con-

B 3

scri-

Sæc. XVII scriptos Clemens XI. die quarta Octobris
 A. C. 1702. Anno hujus Sæculi septimo damnavit:
 ipsi etiam Calviniani Magistratus tam
 probrosa scripta indignati in ea animad-
 verterunt. Tandem vero idem Ponti-
 fex armatis pene Ordinum precibus, &
 Cleri Hollandici turbis expugnatus
 Mense Febuario per Pauluccium Car-
 dinalem Sebasteno significari jussit, quod
 Pontifex *Apostolica potius indulgentia,*
quam districtiori censura usus in gratiam
Provicarii sui Cockii & ad vota Belgii
 Moderatorum eidem permetteret, ut
 in Hollandiam quidem, penitus tamen
 a Vicariatus officio amotus redire pos-
 set. Hic ergo die decima Aprilis anno
 currentis sæculi tertio Roma cum suis
 in Hollandiam profectus est, ejus fau-
 toribus tam *strenui veritatis Defensoris*
 adventum anxie præstolantibus: Non-
 dum comperto illius reditu Hollandiæ
 Ordines in pleno Senatu Cockium acriter
 objurgantes, rursus eidem omnem
 officii sui administrationem inhiuerunt,
 gravissimas interminati poenas, nisi
 Coddeus intra trimestre in patriam
 suam reverti permetteretur: Quamprimum
 Sebastenus advenerat, instiganti-
 bus Sectariis, Hollandiæ Magistratus
 Cockium in vincula conjici jussit, &
 fuga elapsum perpetuo a patria sua ex-
 torrem fecerunt, aliosque Vicarios a
 Papa

Epist. D. La
Noie 6. Maij
 1703.

Papa constitutos suo munere & statione deturbarunt, necnon Catholicos, Pastores, & Sacerdotes, qui Apostolico Vicario obedientiam præstarunt, sacris muneribus prohibitos in exilium deturbarunt: Horum igitur calamitates misertus Pontifex Leopoldi Cæsaris opem implorabat, die nona Augusti datis ad eum hisce literis:

„Catholicorum Hollandiæ res novis
 „indies prodeuntibus adversus eos Ma-
 „gistratum Edictis, ac poenis, eo jam
 „loco positas esse videmus, ut nisi effi-
 „caci ac præfenti aliquo patrocínio ju-
 „ventur, ad extremam timeri possint
 „perniciem adducendæ. Nos itaque
 „de ipsorum gravi periculo jure solli-
 „citi, postquam assiduis apud Deum
 „precibus eorundem causam agere non
 „desistimus, nihil Nobis consultius,
 „aut opportunius agendum superesse
 „putavimus, quam ut Majestatis tuæ
 „perspectam, celebratissimamque pie-
 „tatem conveniremus, ac Dei ipsius,
 „& Domini Nostri Jesu Christi, cujus
 „vices immeriti sustinemus, Nomine
 „interpellaremus, ut pro eximio, quo
 „præstas, Catholicæ fidei Zelo, apud
 „eosdem Magistratus officia omnia,
 „studiaque sedulo, atque constanter ad-
 „hibeas, quo Catholicis eorum ditioni
 „subditis liceat, ut hætenus licuit,
 B 4 „paci-

Sæc. XVII.
 A. C. 1702.

Sæc. XVII. „pacifice vivere, nec eorum Pastores,
 A. C. 1702. „ut jam contra omnem æquitatem fieri
 „cæptum est, exilio, multisque ple-
 „ctantur. Sane postquam Archiepisco-
 „pum Sebastenum, quem pluribus,
 „gravibusque de causis, ac præcipue
 „ob non sanam doctrinam a munere,
 „quod ad hujus sanctæ Sedis benepla-
 „citur obtinebat, remove compulsi
 „fuimus, & ex hac alma urbe, ut iidem
 „Magistratus vehementer optare vi-
 „debantur, & quidem absque alia pœ-
 „na ex Paterna indulgentiâ dimissimus,
 „unde Nobis ab Hollandi regiminis
 „æquitate quietem pollicebamur, ma-
 „jorem inde vexationem. injuriamque
 „reportavimus. Nam & Provicarium
 „a Nobis deputatum, Virum probum,
 „ejusdemque Patriæ civem, a pluribus
 „annis ibidem sine querela versatum,
 „publico statim Edicto proscriptum au-
 „divimus, & alios deinde Sacerdotes,
 „eosque potissimum, qui debita Nobis
 „obedientia magis præstare videban-
 „tur, vel in exilium actos, vel sacris
 „muneribus prohibitos, aut etiam car-
 „ceribus mancipatos. Declarant qui-
 „dem iidem Hollandiæ Magistratus,
 „palamque omnibus contestantur, nolle
 „se de spirituali Catholicorum regimine
 „quidquam assumere, sed illud Romano
 „Pontifici, ut antea, liberum, expedi-
 „tum.

„tumque relinquere, quod & ipsis Pa-
 „triæ legibus consentaneum esse pro-
 „fitentur: sed reipsa Ecclesiæ Ministros
 „a Nobis constitutos munere, ac sta-
 „tione deturbant: Nostris vero man-
 „datis contumaces, ac refractarios sub
 „catholico nomine apertum schisma
 „meditantes fovent, atque tuentur,
 „ita ut in extremum Romanæ fidei ex-
 „cidium lento quidem, & occultiore,
 „sed eo deteriore consilio intendere vi-
 „deantur. Id vero quanta cum divi-
 „ni nominis injuria, quanto Religio-
 „nis Catholicæ detrimento in totius
 „Ecclesiæ Dei conspectu accidat, su-
 „pervacaneum est, ut pluribus expli-
 „cemus. Nimis enim æquitati abso-
 „num, & a reverentia, quam erga Ma-
 „jestatem tuam profitentur, alienum
 „esse dignoscitur, quod illius Reipublicæ
 „moderatores nihil prorsus sanctæ ipsi
 „religioni, quæ tantæ Tibi curæ est,
 „non modo indulgere in tui gratiam
 „velint, sed ne ab hac quidem turban-
 „da, ut hætenus nullo publicæ rei in-
 „commodo factum est, abstinere. Quid
 „enim magnum, insolens, aut ipsorum
 „rationibus officiens tandem foret, si
 „Provicarium ante dictum, vel nullius
 „revera criminis reum, vel si qua in
 „re offenderit, abunde satisfacere pa-
 „ratissimum, ipsa Majestate tua Reli-

Sæc. XVII.

A.C. 1702.

Sæc. XVII. „gionis caussa intercedente, in gratiam
 A. C. 1702 „reciperent, atque in spiritali anima-
 „rum regimine exercendo tacita saltem
 „conniventia tolerarent: Quid si reli-
 „quos animarum Rectores Nobis obse-
 „quentes, Viros innoxios, ac pacis
 „amatores, munere suo, ut antea,
 „fungi permetterent, contumaces vero,
 „ac publicæ non minus, quam Eccle-
 „siasticæ quietis perturbatores, infamiumque libellorum, quibus Nostra
 „simul, & Apostolicæ Sedis dignitas
 „per summam impudentiam impetitur,
 „Evulgatores, gratum Majestati tuæ
 „facturi, compescerent? Quamobrem,
 „charissime Fili Noster, ut huic rei ob-
 „tinendæ, sine qua catholica, & qui-
 „dem plurium centenorum millium ho-
 „minum fides salva esse non potest, ve-
 „hementer insistas, Majestatem tuam
 „etiam hortamur, & obsecramus in
 „Domino, ante cujus conspectum rei
 „profecto omnes, ac Debitores pereun-
 „tium tot millium animarum postulabi-
 „mur, si humanis quibusque ducti ra-
 „tionibus, manum iis omnem, quam
 „possumus, adjutricem porrigere ne-
 „gligamus; id enim tandem, charissi-
 „me in Christo Filii Noster, pro Pa-
 „terna, quam erga te gerimus, cha-
 „ritate, Majestatem tuam mente, quam
 „Tibi piissimam Altissimus indidit, re-
 „colere

„colere cupimus, ac serio cogitare, Sæc. XVII.
 „impositum Tibi sanctæ Religionis tuen- A. C. 1702.
 „dæ onus, cum Imperii gubernacula
 „suscepisti, summam potestatem Tibi,
 „non solum ad terrenum regimen, sed
 „maxime ad Ecclesiæ præsidium esse
 „collatam.,

Easdem etiam preces Pontifex apud Joannem Guilielmum Electorem Palatinum, Lotharium Moguntinum, & Hugonem Trevirenses, Archiepiscopos & Electores interposuit. Pariter S. Congregationis Præfectus Sebastianum ad debitam obedientiam, turbasque sedandas hortabatur, dum ad ejus literas, quibus hic suum in Hollandiam adventum eidem significabat, hæc rescripsit. „Perlectis in S. Congregatione literis Amplitudinis tuæ gavisi quidem sunt Emi. Patres de felici tuo in Patriam reditu, sed de gravibus, quibus Catholici per Hollandiam vexantur, ærumnis doluerunt magis. Quibus vero potissimum authoribus, impulsoribus, atque instigatoribus in tantum discrimen adductæ res vestræ sint, cum omnibus pateat, ipsis quoque acatholicis palam fatentibus, profecto ignorare non potes. Mirantur equidem Patres Emi. & pro Paterna, qua vos omnes in Christo diligunt, charitate ingemiscunt, Viros Catholicos,

Sæc. XVII. „licos, Sacerdotes, Pastores, qui bo-
 A. C. 1702. „nitatem & disciplinam & scientiam
 „profitentur, eo se partium studiis ab-
 „duci passos, ut dummodo tuerentur
 „tuam, Catholicæ fidei causam pro-
 „dere non erubuerint. Quodque mi-
 „randum magis, iidem ipsi sunt, quos
 „Amp. tua, & arcta sibi præ cæteris
 „necessitudine junctos voluit, & bene-
 „ficiis ornavit, & accusatos pluries
 „apud sanctam hanc Sedem defendit
 „acerrime, utque strenuos Vineæ Do-
 „mini, & inconfusibiles operarios, ipsi-
 „que S. Sedi obsequentissimos prædi-
 „cavit, atque præcipuos in regenda
 „Missionem sibi socios & adiutores adhi-
 „buit, ut vel ex hoc uno (etiamsi cæ-
 „tera plurima defuissent) agnoscere
 „debeat Amp. tua, quam juste,
 „quam necessario de mutando Mis-
 „sionum istarum regimine, earum-
 „que administratione in alium trans-
 „ferenda, hic cogitandum fuerit. Id
 „vero, cum jam debita maturitate pla-
 „ne constitutum, ac rite peractum sit,
 „& Sanctissimus Dominus Noster ea de
 „re datis ad omnes Hollandiæ Catho-
 „licos Apostolicis literis mentem suam
 „abunde explicaverit, superest, ut,
 „quicumque Christi Vicario subesse, ac
 „Beati Petri Cathedræ voluerint Com-
 „munionem sociari, Sanctitatis suæ man-
 „datis

„datis reverenter obediant, si qui vero sæc. XVII.
 „(quod absit) obdurato animo reluctari A. C. 1702.
 „pergant, velut Ethnici & Publicani
 „tandem juxta Evangelii monitum ha-
 „beantur. Reliquum Deo committen-
 „dum, qui sperantes in se confundi non
 „patitur, & servos quidem suos tan-
 „quam aurum probat in camino tribu-
 „lationis, nec tamen deserit, sed bra-
 „chio sancto suo defendit illos, & sua-
 „vibus iis vocibus consolatur, & reficit:
 „*si me persecuti sunt, & vos persequentur.*
 „Propterea non concidendum est ani-
 „mis, sed fortiter sustinendum; non
 „enim vincitur persecutionibus Eccle-
 „sia, sed augetur; quod ipsimet Pa-
 „tres Vestri, quorum virtutis, & in-
 „afferenda Romana fide constantiæ æ-
 „mulatores vos esse decet, toties ex-
 „perti sunt; oportet autem & hære-
 „ses esse, ut qui probati sunt, fideles
 „inveniantur. Tibi vero, si tuos, si
 „Patriam, si fidem Catholicam cordi
 „habes, & quod Caput est, etsi in con-
 „spectu superni Judicis, qui scrutatur
 „renes & corda, tantorum Ecclesiæ
 „malorum culpam subire velis, adni-
 „tendum est maxime, ut tempestatem,
 „quæ non nisi propter te exorta est, to-
 „tis viribus sedare contendas; idque non
 „ægre admodum assequeris, si amicis
 „omnibus, & clientibus tuis denun-
 „ties

Sæc. XVII. „ties ex animo, nullo te ambitionis
 A. C. 1702. „æsta abripi, nec primos recubitus af-
 „fectare, satis propterea Tibi fore, ut
 „supremi in terris Ecclesiæ Pastoris
 „voluntati obsequendo, tibimet impo-
 „sterum pacifice vivas, quod quidem
 „& animæ tuæ tutius fuerit, & Chri-
 „stianæ Sapientiæ, quæ magis subesse
 „appetit, quam præesse, institutis con-
 „formius; ne alias videaris, quæ tua
 „potius, quam quæ Jesu Christi sunt,
 „in Evangelico Ministerio quæsiuisse.
 „Tuarum quoque partium fuerit, eos-
 „dem sedulo admonere, ut conscientiæ
 „suæ consulant, & Ecclesiasticas cen-
 „suras, quibus non pauci juxta Cano-
 „nicas sanctiones irretiti sunt, minime
 „parvi pendant, Dominus enim est pa-
 „tiens redditor; tu vero (quidquid ipsi
 „demum acturi sunt) prorsus noli ipso-
 „rum culpis involvi, ne tremendæ ni-
 „mis Christi sententiæ obnoxius fias:
 „*Væ homini illi, per quem scandalum venit.*
 „Et ista quidem, cum S. Congregatio-
 „nis, tum etiam Sanctitatis suæ no-
 „mine Amp. tuæ significanda habui,
 „teque interim paratissimam exequen-
 „dis Apostolicæ Sedis mandatis volun-
 „tatem serio promittentem laudamus
 „omnes, impensius laudaturi, cum id-
 „ipsum, ut Deo dante confidimus, ope-
 „re comprobaveris. „ Attamen insti-
 „gante

gante Coddeo ejusque fautoribus, Or-
 dinum foederatorum Deputati edictum Sæc. XVII. A. C. 1702.
 promulgarunt, vi cujus illi, qui Co-
 ckium iudicibus vivum sifteret, trium
 millium florenorum pretium constitue-
 runt: Equidem summus Pontifex om-
 nem movit lapidem, ut Cockius ad ob-
 eundas muneris sui functiones a Ba-
 tavo Clero reciperetur, cum vero re-
 fractarii continuo obsisterent, Ponti-
 fex datis die decima tertia Octobris an-
 no hujus sæculi tertio literis Joannem
 Guilielmum Palatinum Electorem e-
 nixe rogabat, ut hunc Vicarium ab
 improbis hisce abscedere coactum ejus
 clientela dignari, atque in locis Belgio
 vicinis eum recipere velit, ut interim par-
 tes demandati sibi muneris, ibidem o-
 bire, & Missionum opus, cui præest,
 promovere valeret. Postea vero Co-
 ckius Romam venit, ubi Clemens XI.
 eundem Canonicum S. Laurentii in
 Damaso nominavit: Ceterum in hanc
 usque diem omnis sollicitudo, summo-
 rumque Pontificum labor pro Batava
 hac vinea impensus, omni ferme fructu
 caruit, Sectariis non uvas, sed disti-
 diorum labruscas facientibus.

§. VI.